e-codices

abstergit, pituitosos humores ad uulnera confluentes arrodit, uulnera constringit, ne ſaniem, et ſanguinem ultrà emittant, neruos deniq omnes calefacit, et mirum in modum roborat, itáq quàm miser est is qui uino caret, et destituitur, ut èo ad ſanitatem, et lætitiam uti nequeat, quàm misera est uita, quæ ſine uino transigitur, ſanè uidetur hæc mors potius eſse, quàm uita, est enim diminutio uitæ, et ſanitatis uini egestas, quod ex ipsis ſacris paginis probari potest, uinum totum uiuificare hominem, ait enim: æqua uita hominibus uinum in ſobrietate, uinum enim datum est ut ualeamus, non ut ægrotemus, uinum enim debilem stomachum reficit, uires deficientes reparat, imò totum hominem, de cuius uita ferè conclamatum est uiuificat, hæc multa ſatis eſse credo hominibus de uini effectis, quoad corporis ſospitatem, et integritatem restituendam, at nimis multa uobis, ad alterum ergo elementum vel litteram transeamus, quod uinum iucundum ostendit, et homines efficere iucundos, et idcirco à Deo creatum uinum refert ſacra Scriptura, uinum (inquit) lætificet cor hominis, quæ (Rogo obtestorque uos) quæ maior pestis animi, quàm dolor, aut tristitia, tinea uestimento, uermis ligno, ferro rubigo, tristitia nocet animo, hac enim exeditur animus, et quodammodo

Licenza: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. 396v – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/it/zbz/D0147/396v)